TRABEATA
POGONIÆ VESTIGIA
Sub Palatinæ Dignitatis ingressum
in Honorum Appia

Per

CELSISSIMUM PRINCIPEM
AUGUSTUM ALEXANDRUM
DUCEM in KLEWAN
CZARTORYSKI
GENERALEM TERRARUM RUSSIÆ
PALATINUM
Kaiusiensem, Koscierzynensem, Lucienscensem, Latovicensem, Lubochenscensem, Zeydecanensem &c. &c.
CAPITANEUM.
Ad perenne Gloriæ monumentum
Secuturæq; posteritatis memoriam
IMPRESSA.
&
A Prosequente votis plausibûsq; fortunatos gressus
SIENIAVIANO Collegio Leopoliensi Soc: JESU
ADORATA.
Anno ab ingresso terras Numine 1732.



Sterne ſolum Tyrio non deſes Ruſſia cultu,
  Et cunctis jaceat Gloria rubra viîs.
Calcandus Trabeata decet Veſtigia murex:
  Sic, decet, ut PRINCEPS progrediatur Honor.

CELSISSIME PRINCEPS
ILLUSTRISSIME PALATINE

Si Nominis, meritorumq; Tuorum amplitudini par adferendum foret encomium, fatiſceret ſvada; tam grandia ſunt, quæ de Te dici poſſunt! arctarentur vaſtiſſimi licèt periodorum ambitus; tam ampla! quibûs Polonum, imò univerſum

imples orbem. Quis unquam profundus ſenſus Celſiſſimæ Originis Tuæ comprehendet altum? quæ folia purpureos fluctus, totoq; æquore in commune bonum deſudantis frontis procellas ſuis excipient marginibus? Mirari nobis hodie, non imitari licet Myrmecidis artem; Solis ille quadrigas ſub tenui muſcæ ala publicæ expoſuit luci: nos Avitum POGONIAM Tuum oratoriis ne adumbrare quidem valemus pennis. Subſiſtimus in limine, hæremus in primo veſtigio, dum immortalis gloriæ curſum, quo pauciſſimos æquâſti, quia ſuperâſti quàm plurimos, meditamur adoriri. Tanta enim, ubi non tam honoris Tui, quàm felicitatis noſtræ adis metam, dicendorum occurrit copia, ut faciliùs ſit, ſuperbæ temeritatis incurrere notam, quàm ſingula laudatore proſequi ſtylo. Procedis fortunato paſſu, quò Te nobis magis, quàm Tibi propitii Superùm favores, quò Natalium non vulgariumq; talentorum ſuffragia, quò communia Populorum invitant vota. quantus hìc meritorum! quantus honorum! quantus Principum Familiarum comitatus! Eodem Tecum univerſa ferme Lechia incedit pede, quaſi integra Majeſtatis Polonæ moles Tuis niteretur plantis, Tuo ad culmen felicitatis properaret greſſu. Et certè, dum inter Leoburgi-

cos

cos montes, Palatinæ Dignitatis conſcendis apicem, in altum eluctatur, quidquid in Regno noſtro meritis ingens, honoribûs ſublime, Origine cenſetur ſummum. Nulla utiq; Generis eminet altitudo, quæ Celſiſſimæ Domus Tuæ non glorietur attolli affinitate. Nullus in Purpura rubet ſanguis, qui erubeſcat veſtras in venas influxiſſe. Nulla titulorum apparet claritas, quæ Illuſtres Vobis non accendat Ceras, veſtroq; non augeatur fulgore. Felices nos! quibus, dum huic exoreris Trioni Sidus Optatiſſimum, tot tantaq; affulgent lumina, ne aut obſcuri Oratores, aut rerum ignari cæco in Tua encomia ferri videamur impetu. Non itaq; præclaræ monumenta Antiquitatis improbo luſtrabimus labore; non voluminum die nocteq; ſcrutabimur umbras, publico ſole digna inveſtigaturi facinora. Illis id officii relinquimus, quibus major laudandi neceſſitas, quàm laudandorum adeſt copia. Lucet Orbi, liquetque, quidquid ad declarandum Celſiſſimi Illuſtriſſimiq; Nominis confert ſplendorem. Utinam autem tantum Orationis reſplendeat lumen, quantô Polonum illuſtraſtis Cælum! Utinam folia hæc tot Hortenſiorum proferant roſas, quot Purpurarum vernâſtis floribûs! utinam tam profundi ſenſus Tuis ſeſe adſternant plantis, quàm altè in Republica Celſiſſimi ſem-

per

per eminuiſtis Principes. Verùm votô ſuô major eſt eventus. Nunquam tam proſperè periodorum ſeſe volvent ambitus, ùt fortunæ Veſtræ evexiſtis orbitam. Nunquam ex ſucceſſu Oratorii procedent impetus, quô longo temporum decurſu Avitus Eques veſter Honoris trivit Appiam. Sequemur nihilominus, licèt inferiore greſſu Trabeata POGONIÆ Veſtigia, magis adoratores Tui, quàm Oratores; & ubi cadet ſtylus, cadet in Tuæ reverentiam Dignitatis.

Nemo inficias ibit, arduum cuiq; per ſumma evenire iter; difficileſq; qui culmina tranſcendunt, calles. Inoffenſo plerumq; pede pervia decurritur planities, humiles ſuperantur ſemitæ; at Carpatos, Appenninoſq; vix unquam ſecuro tetigeris greſſu, eò caſui propior, quò longiùs receſſiſti ab imo. Quanto conſtitit Phàëtonti, luminum Principis iniiſſe vias? Non guttâ aut tenui lacrymarum fonte, verùm profuſiſſimo in luctus æquore audaciam deflet Icarus, quòd Appiam Reginæ volucrum aquilæ ſuperbo tentare præſumpſerit volatu. Ingentia, fataliq; terminanda exitu adeunt pericula exiguæ celoces, vada, illa prætervehi auſæ, quæ laureato ſub velo grandes nonniſi onerariæ decurrunt.

Quid ego hìc diffitear? ſublime tentamus,

iter

iter,quia veſtrum,quo perinde, atque Aſtrorum Principes, ab ipſo ortu ad Illuſtriſſimum proceditis meridiem. Dejicit quidem animos, celſitudinis formidine, arduus ille, ſemperq; per ſumma properantis POGONIÆ tractus; nondum tamen proſternit ſpem fauſtî aditûs, dum tot meritîs, & honoribus tritiſſimus, viam aperit planè Regiam. Ne verò ipſi nos ultro in Labyrinthum induamus, Cretam, Lemnumq; id eſt extera pervagari regna omittimus, dum CZARTORYSCIANÆ Domus prima, ſed Auguſta ſtatim limina ſubire quærit Panegyris. Alienos non luſtramus ſoles, ut ad purpuream præclariſſimi Nominis deveniamus Auroram, bene conſcii, non erubeſcere Ortus veſtros, quòd in cælo Poloniæ ad diem lucidiſſimum emerſerint. Congenita videlicet Vobis cum ſummæ magnitudinis ſideribus indole, ex longinquo ſplendorem deducere, tantùm non improbum cenſetis, proprio contentiſſimi Phæbo. Proinde non adoramus Orientem, radium emendicaturi, quo ſerenum Celſiſſimæ Proſapiæ Veſtræ accendamus mane. Phoſphorum in Regni Noſtri habetis Zodiaco, unde primam, id eſt nemini ſecundam accepiſtis lucem. Non evolamus ad Imperiales Aquilas, ut Principem diligenti ſolertia conquiramus Nidum. Non in Alpes ſideribus

vicinas eluctamur, à fæcunda Regnorum Regumq; Parente, quasi à cœlo, altitudinem Generis deducturi. Non per Galliæ spatiari lubet lilieta: in Domestico pulcherrimè effloruistis viridario, primo statim vere Purpurarum Flores ornatissimi. Novimus equidem, aurea Europeo Imperantium Orbi poma ad consanguinitatis Vestræ Arborem nativo referri jure; ejusq; ramos cum Regnantium sceptris, cum fascibus palmites eadem progenitos stirpe. Cæterum tamen non recensemus incrementa, quæ à remotiori desumunt Dodona; altissimam in nativo solo consideramus radicem. Ab illis scilicet Principum Paludamentorum velleribus, vitæ, honorisq; Vestri deducimus filum, quæ istam gloriosissimè exornârunt Patriam. Illi extero gaudeant sole, quibus Domi non adeò illustris Lucina contigit. Peregrinos colat, qui Penatibus caret Diis.

Dux Olgerdus Czartoryscianæ Domus primum Caput & Origo.

Jam itaq; trabeata POGONIÆ secuti vestigia, imus proni per eos passus, quibûs ab alto, quia à Magnorum Lithvaniæ Ducum descenditis Celsitudine. OLGERDUM GEDYMINI Principis Filium, vel eo ipso Patrem Patriæ, quia CZARTORYSCIANÆ Genitorem Prosapiæ demisso adoramus stylo: quanquam sublimis dici meruit tanti Principis allapsus

psus plantis. Iste est initialis gloriæ vestræ apex: istud primum, sed grande honoris punctum. Non de exiguis Majestas hæc, quæ Polonum implet, Cœloq; infert Orbem, crevit atomis; etiam initium illius præcelsa attollunt culmina. Quid tumente Nilus exundat procella superbos altæ Originis volvens fluctus? longè augustiore profluxistis vena, immensô nempe Purpurei sanguinis Oceanô. Ducales in primo Vestro Gentis Capite tulistis Mitras, pridem Regio dignissimi coronari diademate. Uno supra quindena lustra, id est ab Anno orti Justitiæ Solis Millesimo trecentesimo trigesimo, ad usq; millesimum trecentesimum octogesimum primum, in Principe cum illo fulsistis Solio, dextrâ sceptrum, Nobilissimam Gentem, quà imperiîs, quà consiliô, quà forti gubernando manu. Intrastis eodem Duce in Sarmatiæ Regiam, cum gloriæ Regumq; feracissimo JAGELLONUM colligati manipulo. Quanti hìc fasces! quantæ Vobis honoris debentur adoreæ! An non justo titulo Ducibus de Czartoreysko Serenissimi deferendi essent tituli, quos Poloni Pannoniq; Cœli Sol VLADISLAUS, Fratres suos, vivîs hucusque literîs, nec morituro unquam fatetur diplomate? quasi nondum plena luce effulgeret sua Serenitas, quamdiu hi

sibi

ſibi deeſſent radii. Ita cum OLGERDO in lucem prodiiſtis; verùm non minorem quoq; ejus accepiſtis augem in KORYGELLO, ùt bonorum, ſic gloriæ Paternæq; virtutis hærede. Literariam ſcriptorum de ejus nomine dirimimus litem, illis ſubſcribentes, quibus ſtatutum eſt, CONSTANTINUM dicere. Vix enim Chriſtianæ auctoramentum iniit militiæ, ſub triumphali Crucis labaro, heroicam tot victoriîs, quot præliîs auctam circumtulit famam. In hoc ſigno juratos illi crederes triumphos, cui hoſtiles, quodam quaſi ambitu, occurrere videbantur acies, ut gloriosè, quia Magni Æneæ dexterâ, gladiôque occumberent. Quoties cum Avita Ducatus ſui Czerniechovienſis Aquila Militares explicuit alas, toties hoſtem ultimo involvit diſcrimini. Non Czerniechoviæ, Siberiæq; tantummodo, verùm exercituum quoq; agens Ducem, oſtendit, non magis ſe Mitræ, quàm galeæ, paludamento quàm ferreo inſueviſſe thoraci. Numeroſis Crucigerorum Copiis Litvaniæ infeſtantibus limites, licèt exigua Militum manu, ingenti tamen pectoris ſe ſe opposuit audacia, ratus, ad ſuam gloriam pertinere, virtutis pugnam, non numeri. Et ſanè didicerunt adverſæ phalanges magiſtra clade, plus ad victoriam valuiſſe Ducalis animi magnitu-

Dux Korygello Olgerdi Filius.

gnitu-

gnitudinem, quàm olim centum Briarei manus ad ſtragem Jovis. At quæ iſta fatorum invidia? ne major hominibùs videretur, inter homines eſſe deſiit. Martiali generoſè invectus campo, poſt fortiſſimos in hoſtem inſultus, è vita diſceſsit: vivere tamen non deſtitit, quia ſuperſtitem in heroica Prole reliquit ſpiritum. Quem verò ſpiritum? ferrî utiq; avidum, mortiſq; animaturæ Patriam. Senſit paternos animos CHLEB Filius, idemq; Dux de Czartoreyſko: hinc in Martem pronus id agitabat votìs, ut, quemadmodum vultu Patrem, ſic vitæ, fatiq; genere Heròém exprimeret. Ergo cùm iterum Litvanis viſceribus bellum ad Vilnam infudiſſent Crucigeri, velut ſcopulum ſeſe oppoſuit tempeſtati ferreæ; medios in hoſtes arma intulit; daturuſq; argumentum, quòd mortem pro ſalute publica amaret, adverſum in pectus admiſit vulnus; cecidit, ſuaq; ſtrage terram protexit patriam. Orbem præterea edocuit, jam tum CZARTORYSCIOS illam prætuliſſe indolem, quæ felicitati Heroicæ apponeret, ſeu dare vulnera, ſeu accipere; utrumq; è dignitate ſibi eſſe, tam ſui purpurâ ſanguinis rubere, quàm hoſticâ. Jaces, jaces funus ingens, Heros magnanime! & eadem, quæ militiæ tuæ torus fuerat, arena, nunc etiam vitæ lectus eſt, laſſæ magìs

Chleb Princeps CZARTORYSKI, Korygielli Filius,

 per

per victorias, quàm prostratæ satîs. Hostilium cadaverum acervo incubas; isti sunt Heroum pulvilli procumbentium: laureîs tegeris; talibus stragulis quà surrecturos somnos commendant CZARTORYSCII, quà perenniter jacentes. Ut ùt autem occubueris; nondum mihi suprema tua persuades, quia Fratrem relinquis ALEXANDRUM, eodem tecum Parente gloriosiùs natum, quàm si illum Philippus genuisset. O Virum, Magno illi, usq; ad nomen, non cessurum! Alterum Macedonia, alterum Polonia, ingenti licèt sinu, cùm non caperet, Orbem sibi alium quæsivit, non otiosus soli exteri spectator, sed spectandus in belli pulvere, in armorum usu laureato. Hungariam, VLADISLAI Poloniæ, Pannoniæq; Regis Dominatum ferri Turcici rabies invaserat. Signa rapuit Princeps; sed pæne priusquam intulit, Aquilas prævolavit Fraternas ALEXANDER; bellum absolvit ea celeritate, quâ satìs erat venisse armatum, vidisse hostem, vicisse Thraciam. Quæ funera manus una edidit! terram oppresserunt Hungaricam, sed grato pondere: quam avara spe devoraverant, mordebant adhuc humum, sed inani dente, & casso vulneris morsu. Copiarum cæteras victori gladio subduxit fuga eô levior, quòd jam supercilium fastu grave ad Herois

Alexander Dux Czartoryski 2dus Korygielli Filius.

rois

rois pedes projeciſſet. Triumpha ALEXANDER Invictiſſime! debellatum eſt. Agnoſcit victorem, ſeq; in arcum tibi ſinuat Luna Turciæ; in triumphalem abit Porta Othomanica. Invehere Capitolio! fortitudinis præmium, pompam Victoriæ, Ducalem POGONIA, tibi ſubmittit VLADISLAUS, ne ſuus ALEXANDRO Bucefalus deeſſet: imò Te ipſum equo impoſitum, quòd nihil poſſet inſignius, Virtuti tuæ defert. Exinde novi Stemmatis Dignitas, & recens titulus in CZARTORYSCIOS diſceſſit; non tamen Equites Nobiliſſimos fecit, ſed monſtravit. Quæ iſta Gentis Gloria? totum hoc in Avitis Inſignibus cenſere, unaq; complecti Domo, quod Ducatus eſt integer, quod Patria Hectorum Litvania; eadem eſſe utriuſq; Symbola; partes ambas, quàm non difficilè Ceris imprimunt, tam facilè animô, & campô, non levis militiæ genium, ſed robur cataphractum, ſed acerrimum enſe Herôém exprimere. Amat Pares ſuos Gens ſtrenuiſſima, gaudetq; ſua per CZARTORYSCIOS Decora non inferiùs circumferri, imò provehi ad ſumma; celſiſſimè declamari hìc tubâ Martiâ, ibi Equeſtris lituô facundiæ.

Et quod in nomen, Gentem Litavam, ſuamq; non protulit, loquentis Libertatis ſo-

Joannes Dux CZARTORYSKI 3tius Korygielli Filius.

nus aureus, vox pretiosa, Princeps JOANNES CZARTORYSKI? suadam illius ne centum ora famæ æquaverint. Ut Cæsarem sua nonnisi manus scribere potuit; ita dicendus esset ore proprio, Nestor hic Poloniarum disertissimus. Nihil ille in confertæ Nobilitatis Comitio loqui ad gratiam, eâ contentus, quæ sibi nomen fecerat: nihil ad suî pretia disserere, quodq; ad aurem civilissimam, quasi monile penderet, pulchrum magìs, quàm bonum: omnia è re boni publici disputare, argumentari, concludere. Quo factum, ut citra Gallici catenam Herculis, nullos non traxerit in sententiam; pugnantes etiam in adversum, victosque robore rationum, sensui suo, veluti triumpho lauream addiderit. Vincebant Fratres in hostico? ille domi decertabat, ne quid liceret fatis pejùs consulentibus integritati patriæ: & arbitria sua, vires erant, armaq;, deliberatoria in acie felicissima, tantaq;, ut illis cedere sensus cæteros, intra gloriam staret, nec puderet quenquam, trophæum fieri victoris consilii. Eadem dicendi potentia, suadendiq; in publicum, facilè parem JOANNI fecerat MICHAELEM, Principem CZARTORYSCIUM, nisi agere fortia, quàm loqui voluisset. Ille quidem Soboles KORIGIELLI extrema; laus Patris non ultima, Martisq;

Michael Dux Czartoryski 4tus Korygielli Filius.

tisq;. Dixerim Scipionem, id est bellorum in nube timendum fulmen. Fabium nuncupaverim, non tamen Cunctatorem: quia periculum in mora, non gloriam virtutis magnanimæ positam persuasus, alacritate inchoabat labores martios, continuabat successu, terminabat plausu, Contigerat, Othomanica pressos obsidione Caffenses, in Lechiam supplices confugisse; à Polona Aquila robur fulmineum; ab Equite CZARTORYSCIANO ultorem gladium postulâsse. Pæne insimul plorantia vota audivit, cecinitq; virtuti suæ classicum MICHAEL: latus ensi, itineri copias accinxit, non ultra quingentam manum majores. Plures fortassis desiderares viros, non Herôés; pectore excesserant numerum; Duce CZARTORYSCIO exercitum conflârunt. Utinam animus ille, impetusq; pugnâsset! sed fata invida, pro belli pulvere, arenam in via objecerant feralem. Sic laurus jam jam in frontem Heroicam evirescens exaruit. Florem tamen vividum, antequam præriperetur morte, promeruit Familiæ, reliquitq; perennem titulum DUCUM in KLEWAN. Hoc illum, utcunq; ingentium Nominum plenum, Posterosq;, auxit decore SWIDRIGIELLO, Principatu Litvaniæ Magnus; major, quòd Mitræ CZARTORYSCIANÆ, gemmam nominis adjecerit,

jecerit, meriti præmium Heroici, pretiumq;. Quas tu hìc Doloris Celſiſſimi, per tanti Viri cladem læſas iras audires mors effera, niſi illum placarent munera? THEODORO debes, quia tibi mitiùs indignantur lacrymæ. Quantum ille Donum Superûm, & quàm magno publicæ rei bono planè cœlitus demiſſum! quàm Domui ſuæ, totiq; Lechiæ acceptiſſimum! Martis Sidus à polo datum credi poterat; adeò flammam ſpirabat bellicam; oculorum nictu igneo acies Scythicas perſtringebat. Auſa eſt, Volhyniam, & Podoliam armîs appetere Tartaria: & tamdiu ſæva omnia licuerant furori barbaro, donec in THEODORUM, hoc eſt ſtragem ſuam incidiſſet. Dedit pænas ferro Heroico cæſa inſolentia: plurima victore in campo procubuit; ne tota jaceret, equis debet fugacibus. Verùm velocior pedes POGONIA, quàm alatus timor, conſecutus fugam, aggreſſus, mortes humô ſparſit, vulnera ire permiſit in Scythiam, cladis ſuæ nuncia. Eadem animi fortitudine, quâ Martium enſem, gladium tractabat Themidis Capitaneus Luceorienſis: illi Propontidis Hydra, huic ſcelera ponebant caput; altero violata per hoſtem jura Poloniæ vindicabat; altero Regni leges tuebatur. Nihil apud illum evicerant potentes injuriæ, præter vindicem

Theodorus Dux Czartoryſki Michaëlis Filius.

ſen-

ſententiam: nihil partium ſtudia, præter integritatem ſanciti. Ita ex æquo cauſæ meritum expendebat, librabat rationum pondera: ut palàm fieret, lancem eſſe ad manum MICHAELI, nec ad prætextata negotia declivem, nec à cauſa paupere celſiùs avectam, & quaſi fugientem in auras. Sed tam bonus rerum Arbiter, iniquiùs egerat, niſi Patrem etiam optimũ gerens, Filium ex ſe dediſſet à magno Genere non degenerem. Et alibi quidem non rarum videas pomum à nobili arbore procul cadere, avulſumq; ramîs ſublimibûs volvi per terras humiliter. Videas, auguſtis etiam de palatiis, præcipuè quæ annoſam ætatem duxerunt, rudes herbas erumpere, magnificarum ædium probrum. Verùm CZARTORYSCIANAM Stirpem perinde, ac Heſperidum arborem, quicunq; fructus gravat, aureus eſt: Flos eſt Purpureus, qui annoſiſſima Domo ſeſe ſuſtulit. Pro nullo unquam Nepotum aut erubuit Princeps Sanguis, aut palluit; quomodo Erythræum amnem non hactenus aliqua verecundiùs ſuffudit proles gemmea. Dedit itaq; Patriæ THEODORUS ALEXANDRUM, ſtatim de teneris augurió, exſpectatione in progreſſu magnum, eventu tandem ingens Senatûs Nomen, caſtrorumq;. Palatinam Volhyniæ Togam dum induit, ad Dignitatem protulit lacertîs. Martis

Alexander Dux Czartoryſki Palatinus Volhyniæ Theodori Filius.

 tis

tis verò ſagum breve ita auxit victoriîs, ut longiſſimè effuſum, terram patriam à Scythica colluvie everrerit. Infecerat enim Poloniam irruptione ſua furor Tauricus: hic fœdam cædem campîs ſparſit; ibi cervicibus plurimis vincula, & turpem injecit ſervitutem. Quis iſtud Hercules, tantùm non Augiæ ſtabulum, à dedecore noſtro repurgaret? Repurgavit Alcide major ALEXANDER. Quatuor, ultra viginti Tartarorum millia dum fudit, abſterſit ignominiam terrîs Sarmaticîs. Caput inſuper Imbraimo Paſſæ dejecit è collo, juſſitq; humum exterere, quam crudelis graſſator fœdaverat ſæviendi libidine. Et quia ſedebant adhuc jugulis Polonîs, manibûſq;, nodi Taurici; hos quoq;, ne Libertatem patriam deformarent, abolevit, dicendus jure Torquatus Sarmatiæ, quòd octogenis cervicum millibus catenas detraxerit ſerviles. Fallor; commutavit tantummodo vincula, non deripuit captivis Civibus: nam quæ modò ferebant collô, corde deinceps, æternùmq; obſtrictâ memoriâ tulerunt. Uno itaq; triumphô & ALEXANDRUM ſe probavit, qui difficiliores Gordiô ſervitutis nodos ſolvit gladiô; & Xerxem ſe exhibuit, dum effuſiſſimas vinctorum lacrymas, dixerimne? triſtem Helleſpontum ita catenavit, ut procellam poſuerit

ſuerit luctuoſam. Poſſem hìc hoſtili ſanguine fuſiùs ſcribere laudes Heroicas, cæteraſq; virtutes Palatinas: ſed dum Tyrô major, Sidoneq; Murex affluit; cedat tabum. Regale in folium referri, ſceptrîs pro calamo notari meruerunt: ponat minorem paginam, pennamq;, Panegyris. Poloni Solii Dignitas Coronata, AUGUSTUS Primus exiguum habuit, Regali toties ore Virum perorâſſe, dixiſſeq; ad aures famæ; niſi & oculis in laudes Palatinas intentiſſimis proſpexiſſet. Hinc ne volarent, fugerentq; poſteram memoriam; defixit verba in chirographis; ne non frugis optimæ Civem laudâſſe videretur; exaravit in tabulis publicis ſenſus Regios. Affulget Lux Sereniſſima: legite pupillæ, *ab ineunte ætate, ad hoc uſq; tempus, per omnes Honorum gradus, ita ſe eum* (ALEXANDRUM videlicet) *geſſiſſe, ut maximam ingenii, prudentiæ, fortitudinis, probitatisq; ac fidei conſtantis meruerit laudem.* O decorum ingentium in parvo dicendi ambitu vaſtũ orbẽ! ô! ampla cõpendia, magnas periodos, ſummam numerîs omnibûs abſolutiſſimam! Quot apices, totidem ſunt altæ laudis faſtigia; totidemq; faſti Honoris, quot literæ. Placuerit ſibi ultra modum Macedo, quòd illum, ita volente edicto, ibi Apelles in ceris pingeret, hìc ex ære duceret Lyſippus,

ambo artis ſuæ Principes. Vile decus Magni! tantumq́; ALEXANDRI CZARTORYSKI gloriæ decedens, quantum Majeſtas artificia; penicillos, ſcalprimq; ſceptra ſuperant, Picta illa, ſculptaq́; Macedonis ſimulacra, vix umbræ ſunt, & colores; vix rudes lineæ, ſi Regio characteri, & Sereniſſimæ cælaturæ conferantur. Baſilica DUCEM noſtrum carmina, honorque æternus codicum Regalium, non ea brevis, mutaq́; commendatio, utì decuit, ita Poſteritati tranſmiſit legendum. Nihil ibi ad laudem deſideres: non Prudentiam, Ducalis Capitis Tiaram; non mentis infractæ, lacertorumq́; inſigne robur; non pectus, virtutum Aulam ſacerrimam; non fidem animi nulla unquam tempeſtate fluctuantem: omnia laudatore calamo, (quia ſtudioſè amavit Principis Viri decora,) amplexus REX comprehendit ſtrictim ſingula, & veluti in filum collegit gemmas tam numerô multas, quàm mole magnas, & pretiò. Adhuc tamen videbatur ſibi in elogia parcior, niſi & Sobolem non inficiandam Parenti, MICHAELEM, ore cumularet, manuq́; laudum divite. Suſpexerat in illo vixdum prætextam egreſſo togata ornamenta; in ætate nondum per annos matura, mores ſuſpexerat, quaſi jam ex ævo: perlegerat in vultu, qui ſcribentis ſeſe animi pagina

Michaël Dux Czartoryſki Alexandri Filius, Capitaneus Zytomirienſis.

na eſt, purpuream gravitatem ante purpuram, doteſq; ſelectiſſimas, non tam ordientes Senatorem, quàm conſummantes: nec potuit, ſuî aliàs potentiſſimus PRINCEPS, Regales ſenſus continere, quin proferret in publicum, chartiſq; trans famam vocalioribus mandaret, ut MICHAELIS, quantumcunq; ſuâ ſe tubâ gloriosè canentis, *Præclaram Indolem* ſeculis loquerentur. Quantum hoc! Nulla non ſiderum lucidiſſima, ad ſolis jubar obſcurantur, amittuntq; radium: quo tamen à fato tam longè abfuit MICHAEL, quàm certum eſt, Præclaram ejus Indolem, Phæbi Poloniarum Sereniſſimi ore, dieque inclaruiſſe ſplendidiùs, & in omnem Poloniam effulſiſſe. Iſta eſt CELSISSIMÆ Stirpis Veſtræ gloria, CZARTORYSCII; & Reges habuiſſe Oratores, & meruiſſe. Ad omnes enim dictum pertinet, quod uni tribuitur, alteriq;: quia totum coronat puteum, qui partem ejus hauſit. Ornavit Vos REX encomiîs; quid ſpecioſiùs ad decus? celebravit Throni Oraculum; quid certius ad fidem? Soliô eminens AUGUSTUS Primus extulit; quid ad Celſitudinis veſtræ paritatem ſublimius.

Conticeſcendum hìc eſſet tantillo calamo, poſt tantum; non obſtrependum olori ab anſere: ſed vocem Oratori afflat DUX JOANNES

Joannes Dux Czartoryſki 2dus Theodori Filius.

NES; verba ſubjicit, nunquam ſatis laudatum facinus; & ſuadæ ad meritum paris deſperatione mutas literas, vocales iſtas, iſtas Gloriæ ſuæ conſonantes, omnes facit diſertiſſimas. Gemmas loquere Eloquentia: ita Unio geminas inter Gentes, Poloniam & Litvaniam, ſudoris CZARTORYSCIANI partus æſtimatiſſimus, dici poſtulat. Quibûs olim diſſidiîs uterq; Populus contenderet;certaret armîs; mortibûs (ne aliquando exſpirarent) bella aleret; nemo eſt, qui neſciat. Nunquam fulmen remiſit Polona Aquila; nunquam vaginâ texit nudum acinacem POGONIA Litavus. O diem illum beatiſſimum, quô ferri diluvies ad ripam venit; poſuit tempeſtas ſanguinea, Neptuno planè Pacatore, JOANNE CZARTORYSKI! Generalibus ille in Comitiis, Nationum ambas complexis, eo rationum Achille pugnavit, ut certanti pro fœdere pars neutra reſiſteret, nec puderet vinci: eâ facundiæ gratiâ diſſeruit, ut vi blanda pomum diſcordiæ eripuerit Herculi gemino. Itum eſt ab odiis ad amorem; in unum Reipublicæ Corpus coaluerunt pectora, animiq;; in unam venam confluxit uterq; ſanguis; uſq; ad cicatricem deleta priſca vulnera; uſq; trans Gades pulſa diſſenſio. ſi quid adhuc uno eſt intimius, id Regnum eſt, Ducatuſq;. Habeat cœlum ſplen-

didas

didas mutui amoris fabulas, non ſidera, Caſtorem, Pollucemq;: illuſtriora amicitiæ fraternæ exempla, Poloni ſunt, Litvaniq; ne Gemini quidem dicendi, dum ſic unum. O ſtudii CZARTORYSCIANI ſtylum pulcherrimum, compoſitionem odiorum! Quod viridi ſemper in olea vigeat Regnatrix Gens, Ducaliſque; CZARTORYSCII Planta ſunt prima: quòd æternô vinculô ligari geſtiat; illi ſunt nexus gemmeus: quòd unanimi conſenſu vivat; illi vitale Principium, & Anima. Deeſſent alia: hoc uno celeberrimi officii ſuffragiô, in pectore Patriæ reponi meruit JOANNES Princeps, & medios inter affectus recumbere. Hunc in locum ſua illum merita; ſed virtus etiam Filii extulit, Manuſq;, inter eos, quibus armatâ dexterâ nomen quæritur, laudatiſſima. Senſit Herculeum Viri lacertum Hydra Septemtrionis, cui, congreſſu bellico, quia JOANNEM ſe meminerat, gratiam fecit vulnerum, cædiſq;. Arma ſimul capta, ſimul laurea: junctaq; fuit pugna & ſtrages hoſti; illi prælium, & victoria: Campus, & Capitolium. Pleſcovienſibûs agrîs, truncos Moſchorũ artus & capita ſparſit latiſſimè, triumphi ſui adeò matura ſemina, imò ſegetem, ut palmam ſubitò meſſuerit. Cæteram hoſtium, ſed raram turbam, ex acie in Urbis munimenta receptam,

Joannes Dux Czartoryſki Joannis Filius.

F obſi-

obſidione preſſit, clauſit circumjectîs armîs, ne gladium ſuum effugerent. Atq; jam in caput emeritum denſo agmine ibant ſerta victricia; ſed evadere in frontis culmen arduum cùm nequirent, Regum Poloniæ Invictiſſimus STEPHANUS BATOREUS, ſui Coronam Nominis impoſuit Comiti Triumphali, fecitq; Imperatorem Heroum. Etiamne pugnata cum cœlo, ſed ſacra bella referam? Tanti prælii DUX inſimul, & Miles fuerat CELSISSIMUS ANDREAS. Manu aurea, copiîs argenteîs, fortunæ ſuæ diviti robore, nervôq; certavit cum Superis, quibus pars felicitatis videbatur, pretiosè oppugnari. Templorum magnificentiâ, Divos ex aula traxit ſiderea, lætos, quòd non ponerent cœlum, ſed mutarent. Ultra Epheſinæ Dianæ fana Klevanenſis Baſilicæ aſſurgit Majeſtas, utpote pluſquàm Tiberianâ, adeo liberali, ſorte, ad Tutelarē ANDREÆ erecta Crucem. Quaſi Memnonis è marmore illam conſtruxiſſet, ſic pleno ore ſuum celebrat Fundatorem; & tanquam vivo ex argento fudiſſet Aras, ſic ejus ſpirant elogia. Quòd pulchriùs Ignatianæ tumbæ in Luceorienſi Collegio, Aſtra fulgeant; Celſiſſimo ANDREÆ, publicam debent lucem, quibus Religioſum exornavit Cœlum. Loquitur facundiùs

Andreas Dux Czartoryſki, Joannis Frater.

diùs Mecænatem ſuum, etiam ruinîs vocale Vinnicenſe Collegium, cui ſilentia nunquam imponet manus munifica; ſemperq; in laudibus Fundatorii Nominis, primum vivens erit, Cor, æternam ſpirans grati animi memoriam.

Nicolaus Dux Czartoryſki Palatinus Volhyniæ Andreæ Filius.

Ditamus ſtylum, cùm Celſiſſimum NICOLAUM Palatinum Volhyniæ, ſupparem ANDREÆ Filium, damus in paginam. Quoties ille in Regni Comitiis pro Libertate loqueretur; Tullium ſe crederet audire Roma, vel Demoſthenem Athenæ, tot, tantasq; verborum gemmas facundo ab ore proferentem, quæ ad pacis publicæ ſufficerent Unionem. Communis Poloniæ tranquillitas, ceu Minerva, tunc naſcebatur, cùm Jupiter hic Sarmaticus, pro imbre aureo, divitem ſuadam, & ſermones pretioſos ab ore funderet. Amârunt Virum Curules Senatoriæ; Volhynenſes Aquilæ in Caſtellano, dein Palatino, ſuum ſuſpexerant Solem, ereptum Podoliæ; avidamq; pretioſô radiô nutrivêre palpebram. Tota Polonia reverebatur Senatorem, cùm veneraretur Togatum. At ſagum ejus, nullus hoſtium ſuſtinuit ſinè trepidatione vidiſſe. Vix invicto paſſu obvium ſibi Heròém adverterat Leo Sueticus; Herculem confeſſus, pellem & ungues contraxit metu; arrectamq; aliàs jubam proſtravit cervice, Oppreſſurus ille

Livoniam, gravi ſuarum virium mole per campos jacuit: niſi verius fuerit, conſiſtere eum pedibûs non potuiſſe, dum ad vulnus ſuum, Gladium Reipublicæ Polonæ, NICOLAUM ferri cognovit. Abſumi non è vano timuit, Achille Sarmatico veniente. Surrexit tamen ad robur, ut glorioſiùs ſub ictu Heroico cecidiſſet. Et verò, memoranda ſtrage, ab ungue ad caput totus procubuerat; niſi Gloriæ CZARTORYSCIANÆ expediret, partes aliquas ſupereſſe, ut ignominiæ ſervarentur. Sed nondum Victoriarum ſitim, in Viro exſtinxerat, ſeu ſanguis hoſticus, ſeu belli ſudor, quem ſibi triumphalis galea fundebat. Pacatîs Livoniæ finibûs, reſtituta Provinciæ libertate, in Moldaviam victricem intulit plantam NICOLAUS, quam laureæ perinde ſequerentur, ac pedem Perſei. Ad primum conſpectum timeri priùs hoſti cœperat, quàm terrere; quòd Nomen præſeferret CZARTORYSCII, mediîs victoriîs enutritum. Unde Virum, veluti terrendis periculis natum, invitabant prælia, ſemper in laureas deſitura. Nec minùs timebatur à gladio, quo furores Scythicos ex fama prævia terruit Dux Poloniæ invictus. Jam Lunas Turcicas, extremùm exſtinguere, totumq; in noctes adigere Orientem credebatur, ubi ſtricto enſe

emi-

emicuit; ubi armatus refulſit, ad bellicum Herois æſtum, frigebant ignes hoſtici, in ſanguinem vulnera liquabantur. Suffecerat, in arenam veniſſe NICOLAUM, ut hoſtis cederet; irruiſſe, ut caderet, ſuoque lapſu CZARTORYSCIANAS laureas adoraret. Diſcite ſecuturæ ætates à Senatore tanto, quà ſudore Martio trabeas tingere, quà ſanguine hoſtili: à gladio ad ſecures Patritias manū porrigere; & faſces trabeatos, victricibus innectere laureis. Parum fuerat domuiſſe ferrò Martem Goticum, Turcicumque; niſi & Animorum exſtitiſſet Triumphator. Hoſtem Patriæ prælio, Regnum meritîs, omnes devicit affectibûs. Sic in hoſtes ferreus, in Divos aureum ſe exhibuit NICOLAUS; dum Paternæ Pietatis monumentum, Klevanenſem Eccleſiam, auxit redditibûs, cenſu divite cumulavit, & quanquam non pauperibus illic Cœlitibus, dotem largam, aurum injecit numeroſum. In Collegium quoq; Societatis Luceorienſe Progenitoris ſui amplos in munera favores extendit beneficiîs, probavitq;, non vixiſſe, ſed vivere; ultra tumulum ſpirare; renaſci è cineribus Parentum; quia CZARTORYSCIANA in nos Munificentia, Phænix eſt, ita nimirum rara avis, ut ſecula parem quærant. Finxerit antiquitas, Gratiarum ſorores, Horas: at Veſtræ,

Principes CZARTORYSCII, Gratiæ, etsi omnium prope horarum, erga Societatis homines, favor sint beneficus, nexu intimo, ævum Honoris vivent, fortunæq; ætates aureas. Hoc vestrum est meritum, hoc votum nostrū.

Tantorum Nominum amplitudini, addit Vice-Regiam Majestatem Celsissimus Primas Primusq; Princeps FLORIANUS CZARTORYSCIUS. Hunc, postquam purpureis cunis exemit Lucina, flos adhuc juventutis, maturus ad Tiaram dicebatur; ita gloriæ adoleverat, ut primo ætatis vere, manipulos titulorum posset colligere. Et hoc fuerat FLORIANI virtutis prodigium, quæ vix nata, canitiem induit probitatis. Et quia non in unius Regni commodum natus fuerat; extra Patriam, non tamen ultra recti limites abierat. Peregrina Regna, Phænicensium more, hospitem illum adorârunt, quasi jam in illo tenerioris vitæ ortu, Solem Antistitum prævidissent. Lustravit Provincias, & ubiq; spectator spectandus erat; plus in se videndum Regnis obtulit, quàm aspiceret. Agnoverunt in illo candorem suum Lilia Galliarum, qui vel ex sanctitatis odore prodebatur. Tandem Orbis Capiti Romæ ad mentem fuerat, postquā de illo Urbium Vertice Septicolli, non aliter prodiit, nisi scientiarum Numen. In Colle-

gio

gio Romano, ſub Joanne Lugone Societatis JESU Profeſſore, demum inter Purpuratos Patres Eminentiſſimo, Sacræ Theologiæ Doctor, non unam laurum ante Infulas obtinuit; multis præripuit palmam ante pedum Paſtorale. Palàm in illo Orbis theatro fuerat, Lechicæ Prolem Aquilæ, CZARTORYSCIOS, non fulmina tantùm belli deferre Jovi, ſed & Aquinaticos Soles, ſerena mente ſuſtinere. Redeunti in Patriam, Honor obvius, Infulas ingerebat capiti: Poſnanienſem admiſit FLORIANUS, cùm omnes merebatur. O! quantus hìc in Præſule zelus! Clariùs ardebant altaria, quæ CZARTORYSCIORUM alebant Ceræ. Templorum nitor, non parvum Platonis mundum, ſed Orbem decorum proclamavit FLORIANUM. Et certè Templum ille quoddam virtutum referebat, ac ceu ſolis Regiam, in qua ad Majeſtatem, quælibet eminebat virtus Celſiſſima. Quid enim illa mentis excelſæ demiſſio? quid præclariſſimæ dotes à natura & induſtria? ſupra reliquos illum attollebant; ſed acclinis omnibus modeſtia, ponebat infra omnes. Non ſuperciliô, non compoſitîs ad faſtum verbîs, à colloquio & facilitate agendi ſecum, arcebat quempiam; omnibus tam facilis quàm gratioſus. Semper ſibi præſens animus, mentis exporrectæ vigi-

lantia, circumſpecta partes in omnes prudentia, in cogitando profunda celeritas, ſtrenua in perficiendo & felix efficacia, in omnibus integritas, latè ſingulis, ſed ante omnes, Regibus Poloniarum Auguſtiſſimis, VLADISLAO IV. CASIMIRO III. MICHAELI I. commendavit FLORIANUM. Vidit hæc omnia Argus ille, in Patriæ, ſuorumq; commoda oculatiſſimus Regnator CASIMIRUS; ùt egregia amavit; admiratus ùt rariora. Liceat hìc apponere fragmentum Epiſtolæ, & Polonæ Serenitatis ad INNOCENTIUM X. Pontificem Maximum verba recitare. *Ea generis claritudine fulget in Regno Noſtro Florianus Czartoryſki, ut minimè nos latere potuerit eius probitas, doctrina, & cæteræ egregiæ animi dotes, quibus Urbis oculos, cùm ibi ſtudiorum causâ ageret, in ſe converterat &c.* O quantum pondus fragmenti unius! premit invidiam; quot numerantur puncta, tot encomia; & quot apices, totidem Inſulæ FLORIANO. Altiorem proinde voluit Præſulem CZARTORYSCIUM Rex Clementiſſimus; quia ſemper dignum ſupremîs quibuſcunq; Inſulîs ſuſpexit Caput. Annuit votis Regalibus Roma; & Vladiſlavienſibûs redimivit Tiarîs CZARTORYSCIUM, à quibus Regum fieret Coronator. Traxit nempe morum integritate, & na-

ta

ta ad ſupremum quodq; faſtigium indole, Beatiſſimi terrarum Capitis judicium. Impoſitam proinde ſibi ſenſit placidam quandam neceſſitatem, ut ſecundâ Inſulâ, cum jure ſecundo coronandi Reges, decreverit, ſummam meritorum magnitudinem coronare. Sed non in hoc ſtetit Honoris gradu, major Celſiſſimîs FLORIANI Virtus; altiùs debuit eluctari, donec ad perfectum titulorum meridiem perveniſſet. Itaq; poſt binas Inſulas, adjecit tertiam MICHAEL I. Sereniſſimus; & totius Poloniæ votis impoſuit Coronam, cùm FLORIANO Gneſnenſem dedit Archi-Tiaram, ac Vice-Regem Poloniæ nominavit. Superi boni! quantum indè felicitatis augurium? quæ expectatio Patriæ? quanta dignitatum colligatio? quanta luminum, ſplendorumq; congeries? Hîs, de Primatiali FLORIANI dignitate rumoribûs, ſenſit ſibi acceſſiſſe vigorem grandæva ætas, revireſcere ad gratulantium officia; Univerſa Polonia viſa eſt in flore ſtetiſſe, non ſpes ſibi in herba latentes, ſed maturos fructus pollicendo. Nec fefellit de ſe augurium inauguratus Princeps, ſed probavit eventu. Sic enim Paſtor vigilantiſſimus propulſabat à grege diſcrimina, ut nullus potuerit eſſe timori locus; ita libertatis bono conſuluit Senator, Patriæ providebat oculatiſſi-

mus Vice-Rex, ut detrimenti nihil, illo Defenſore pateretur. Lætabatur Polonia cum tranquillo Principe, tranquillitatis felicitate. Civium fortunæ, vel ſecuritate ipſa creſcebant pacis augmento. Populorum quies domeſtica, figebat ædificia, æraria opulentiæ, ſulcabat agros, adacto in ſtivam mucrone. Hîs omnibùs conſummatus, occubuit FLORIANUS! ſed eo pacto, ut Vice-Regiam Majeſtatem, cum Cæleſti Regno commutaret. Occubuit! & ex ejus tumulo, immortalis ſurrexit dolor. Occubuit! quem nemo hominem exiſtimaret, niſi morte patuiſſet. Occubuit! qui Reſpublica unus fuit, aut anima Reipublicæ. Vivit tamen in ſingulorum amoribus, quorum poſſedit animos, gloriæ & famæ ſuæ, nunquam immoriturae Vindex glorioſus. Oſtendit illum viventibus; oſtendet victuris, immortalium operum Cuſtos JESU Societas, quam multarum gratiarum fecit hæredem.

Plura Domus Veſtræ Sidera Illuſtriſſima, quæ jam alteri Orbi, æternos accendunt dies, perſtringens lux oculos, vetat aſpicere. Mitto itaq; Cœlis cognatum, & illatum Nomen, è vero Principë MICHAELEM, inter Avita Sandomirienſis Poli Aſtra, Luminare Majus, quia Palatinum; ita titulis congenitum, quaſi illum

Honor

Honor genuiſſet Matre Fortuna. Mitto JOANNEM CAROLUM, Cracovienſem Succamerarium; ſimul Nobilitatis, & Principum affectuum Principem. Mitto innumeros alios, quos immortalitas actorum, felici conſecravit æternitati; ne, poſſe numerari, arguam, quibus, ùt vivis populus admirationem, Reges Procereſq; amorem, Fama cultum, Patria honores dederat; ita beatis aſtrorum Incolis, memoriam impendit immortalem. Viva jam Majorum Tuorum PRINCEPS CELSISSIME cerno Lumina. Unus Procerum Caſtra, & Aſtra facit Pater Patriæ, ac Tuus Celſiſſimus CASIMIRUS, Vilnenſis Caſtellanus; qui in Orbe Noſtro penè omnia; ita terras implevit meritîs, ut ubiq; ceu Numen quoddam occurrat. Quanta ſe in uno oſtentant decora! attollunt faſtigia! ut, ſi nihil ageretis cæteri, (eſſe tamen CZARTORYSCIUM non licet, quin unuſquiſq; fatiget Aſtræam, ingentium computatione meritorum ad præmia) adhuc tôt unius præclarè actîs circumdati, veluti Soles, unicum terrarum decus haberemini. Quem enim ſplendorem Cœlum à Sole; eundem derivat Patria, ab hoc Illuſtriſſimô Senatore. Cujus meritorum unio, illud tribuit Polono Diademati pretium, quod gemma Coronæ, ab Antonio Regnis æſtimata. Et vel

 ideo

ideo primîs titulîs Pocillatoris munus Magnî Ducatùs Litvaniæ, illum ſuſcepiſſe arbitror, ut gemmas nonniſi propinâſſet Patriæ ad ſalutem. Quoties enim publicis in Comitiis, de pretioſis Legati ſudoribus, æmularum unio partium emerſit fortunatiſſimè! Idem erat formare verba, ac efformare animos non claritudini familiæ, non augmento fortunæ, ſed utilitati communi laborantes. Indignor facultati Oratoriæ, quòd nõ liceat exultanti, ad lætiſſimam conſonantis famæ admurmurationem dictioni, tantum habere roboris in eloquendo, quantum Celſiſſimo Principi inerat candoris in ſermone, Virtutis in animo, dignitatis nullo tumultu turbatæ in vultu, in fronte majeſtatis, ſuavitatis in lingva, in ore & oculis gratiarum. Ita ille dicebat ſplendidè! veluti ornatiſſimæ dictioni permiſcuiſſet Aſtra; ita amplè! ut in uno opere ſeculorum negotia moliri videretur; ita ex utilitate Dignitateq; publica! ut ſi quis Emeritiſſimum non nôſſet Principem, unum à Deorum conſilio delapſum juraſſet. Riſiſſet hodie Plato lætior, ſi tot ingentes Anteceſſorum Animas vidiſſet in uno non corpore, ſed animo. An enim decoris aviti, virtutiſq;, dubitet quis, Celſiſſimum Progenitorem Tuum appellare theſim, ac veluti Univerſitatem? Colle-

git

git è Summis, & ſanguinem & mentem auguſtam. Non latuerunt ea Regum AUGUSTUM II. & Auguſtorum REGEM; quamobrem gemmam Principum, gemmâ arcanorum conſciâ, Ducaliſq; Imperij Annulô inſignivit CASIMIRUM; ut manus etiam, quodammodo vinctas redderet dignitati. Eripiebant quidem ſibi par Orbi Caput, primarum Dignitatum Vittæ; & congeſtîs honoribûs, ultæ fuiſſent moram; niſi Annulus Pro-Cancellarij, in orbe gemmeo, orbē Fortunæ, ad Patriæ commoda evolviſſet. Quærant alij, intrà Arabiam aurum, intrà maria gemmas; prærupta Alpium ſcrutentnr juga, ut metuendos inter ipſa deſideria, adamantes legant; & parcam in ſua pretia, naturæ manum, tot compenſent diſcriminibûs. In Celſiſſimum GENITOREM Tuum; ex illo, in univerſam Poloniam, liberalior Fortuna, totum id congeſſit, quidquid ad pretium, ad æſtimationem, & ipſum Honoris faſtum, quæritur à mortalibus. Hôc verò præcipuè gemmeum ſe monſtravit Hydaſpem PARENS Inclytus; cùm tot Illuſtriſſimos Filios, ceu æſtimatiſſimos uniones, ex connubiali annulo, ad grande Poloni Orbis protulit ornamentum. Liceat memori paginæ, ſingulorum Nomina & Titulos committere, quò ſe auguſtiùs palpebris inferat legen-

I tium.

tium. Utiq; merentur oculos Principes Celſiſſimi, qui pridem omnium animos occupârunt. Primum ſibi locum vendicat, quia naſcendi ſorte Major FRIDERICUS MICHAEL, nuper Caſtellanus Vilnenſis, hodie M. D. Litvaniæ Pro-Cancellarius. Ita ille dotibûs implet magna nomina, ut viva Patris imago cenſeatur; ita Principes tractat Ceras, ut ſuæ virtutis pretium, omnium animis videatur imprimere; ſicq; eosq; geſto munere flectit, ut cereos poſthac ad omnia inveniat. Attollit auguſtum genus, præcellens ſuæ dignitati vita & gloria THEODORI CASIMIRI Plocenſibus Infulis deſtinati. Æſtimavit illum in verbis pretioſum Roma; amavit in moribus optimum; ſtupuit in Conſiliis admirabilem; ſermone, pietate liliatum Principem, hoc eſt è vero CASIMIRUM; & omnibûs, quos ſive virtus, ſive doctrina tranſmittit ad poſteros, ſimillimum adoravit. Adeò plenum eruditione caput non dimiſit ſine Laurea; quòd reliquis omnibus palmam præripuiſſet triumphaliter. Certè præluſerunt ad Infulas, pulcherrima illa doctarum præmia mentium; paremq; vittis omnibus frontem laureatam fecerunt, quæ jam tunc Infulata eſſe merebatur. Poſtquam ſic emeritum Caput ornavit Roma; ne injuria magnis virtutibus Polonia videretur,

deretur,

deretur, conatum intendit, ut ſacrîs faſcibûs decoraret THEODORUM. Invitavit Cracovienſis Cathedra tot laureis onuſtum verticem, ad ſuarum Ternionem Coronarum non vano omine, hanc præclariſſimis in Patriam Eccleſiamq; meritis, olim fore coronidem ſupremam. Tandem Varſavienſe ſubſellium, tot decoribùs primîs gravem ſuſcepit, ut altiùs efferret ad Infulas. Hi Fratres tui PRINCEPS CELSISSIME, PALATINE ILLUSTRISSIME; hoc eſt, una Tecum Conſanguinitatis ab Arbore rami, vel aureæ Xerxis platani; & quælibet Arbor una Nemus. Quàm fortunata Patria, ſi plures ejuſmodi numeraret Cives! quàm felicior, ſi omnes, tales Patres! Quid raram fratrum concordiam, iniquitas temporum accuſas? nullis hìc inter tot, Tantoſq; Fratres diſſidijs laceſſita æquanimitas; quorum licèt diverſæ ad omnia præclara dotes, nulla tamen Fraternum pectus incendit æmulatio, niſi cùm de pulcherrimis auſibus contenditur, aut de virtutum primatu inſtituitur certamen. Ut germana Cœlo ſidera quò plus, ultra cætera, lucis ſpargunt, nihil invidiæ; ita inter Vos, quô plus ſplendoris in alio, livoris minus. Quoties Vos PRINCIPES CELSISSIMI, ad invicem Fraternos vultus contemplari ſpectavimus; idem nobis animus, idem ſen-

ſus, quòd ſimilitudine Virtutum cogente, tranſire in pectora Veſtra velitis, animamq; ſpirare in unam. Nec jam miramur connecti inabruptô vinculô ad Patriæ commoda, omnium Veſtrûm voluntatem: quam enim cum lacte bibiſtis concordiam, nutriviſtis mutuo conſenſu, ad ætatem deduxiſtis maturo viciſſim amore; non diſsimili ſtudio impenditis Patriæ; ut jam certum ſit, eadem naturæ lege ſanguinem amari & Patriam; privatîs animum ad publica exerceri. Jam ſi Patrui Tui Celſiſsimi JOSEPHI M. D. L. Vexilliferi labara, ſub quibus æternæ Domûs famæ, perennis militat æther, explicarem; quæ decorum ſeſe centuriæ evolverent? Meruit JOSEPHUS Princeps, quem omne titulorum ſidus adoret. Meretur Magna Parentis Soboles STANISLAUS, de limine ætatis teneræ, ſed jam grandia quævis ſcribentis in vultu, Aulam Honoris ſubire. Brevis hæc Fratrum Tuorum, ac in univerſum CZARTORYSCIORUM Epitome, punctum eſt ex Bibliotheca Illuſtriſſimarum Proſapiarum; pugillus ex pelago; fragmentum ex Carpato; à quo tamen ſenſit Oratio pondus, veluti ab Ætna Enceladus. Cæterùm ea gravitate ſuperbit, quòd poſsit eò profundiore cultu, quò exiliore folio, Ducalem Majeſtatem Veſtram adorare. Neq; id,

id, quod ſcribimus, elogium quiſpiam cenſere poterit, ſed quendam indicem. Et certè, fatemur ingenuè, rudis eſt Nominum Veſtrorum narratio, ſimplex mentio Dignitatum; & tamen eſt panegyris ampliſſima. Non enim verborum cultu, aut ſudore erudito conſtare ſuadam, neceſſe eſt, ubi, quidquid attingitur, hiſtoriam provocat, & ab anguſtis ſe ſe proripit marginibus. Laborare plerumq; cogitur eloquentia; ut aliquid elogiô dignum inveniat; diu expolire ſtylum, ut aliquis ſive virtutis, ſive honoris ſplendor affulgeat. Liberâſtis ſuadam cogitatione ſolicita Magni Principes, ſinè ullis ab arte coloribus Illuſtriſſimi; ſinè ulla ſtyli ſublimitate, ſolâ nativâ Generis & meritorum gloriâ Celſiſſimi.

Quantum enim verò Cognata Principum, Procerumq; Nomina, quæ avitas inter Majorum Ceras, fumoſaſq; Imagines reponitis, Veſtrā attollant, adornentq; Celſitudinem? Reverenti Calamo in paginam revoco vicinum Regibus,Cæſaribuſq;Genus,KORYBUTHIOS? Hìc Sceptra Lechiæ, Coronas, & Solia prona cervice adoramus in MICHAELE I. KORETCCIOS, Oſtrogienſes, Zbaravienſes Principes, SANGUSCIOS, LUBOMIRSCIOS ſuſpicio? Duces ſunt, Mitrarum Apices, altus Purpurarum Color, Patriæ Capita, & pectora.

K CHOT-

CHOTKIEWICIOS, DENHOFFIOS, MORSZTYNOS, OGINSCIOS, FREDRONES, GASCIEWSCIOS, ZEBRZYDOWSCIOS, KRASINSCIOS, KONOPACCIOS, STANISLAWSCIOS, LOSIOS &c. memoro? Hectores ſunt in bello, in Senatu Conſi, Antiſtites in Eccleſia, Solones in Curia, ubiq; Superi. Nec verò WALSTEINOS ſileam; Nomen in Imperio ita claritudine priſca ſplendidum, veluti Sol in cœlo; ita Dignitatibùs eminens, quemadmodum Rhodius medio ſub ſole Coloſſus; ita Victoriîs conſpicuum, ceu armatum gladiô ſidus Orionis. Gentis tantæ titulos, Honori permiſcuit CZARTORYSCIANO, Illuſtriſſimi Pro-Cancellarii Litvaniæ Conſors, dicenda Charitum una, niſi & omnes Gratias vultu, & omnes ævi prioris Heroides animò evinceret. Non hìc etiam à laudibus ſeparo, quem connubiale fædus junxit Stirpi Celſiſſimæ, ILLUSTRISSIMUM STANISLAUM PONIATOWSKI, nuper Magni Ducatus Litvaniæ Theſaurum veriùs, quàm Theſaurarium; nunc Palatinæ in MaſoviaTrabeæ majorem Trabeam; quia Decus Purpureum vincit meritîs; Honorem Patritium, non adſcitîs undelibet viribûs exſuperat, ſed Marte propriô, illo in bellorum nube ſpectatiſſimo; illo in ferreis diſcriminibus acerrimo, tantoq;

toq;, ut difficillimam quamvis prælii occasionem perinde, ac roboris sui aream, victoriæ suæ campum, triumphi sui currum semper acciperet; quo factum, ut pugnandi gloriâ, vincendiq;, antiquis quoq; Heroum prodigiis laudem reliquerit ancipitem. Taurum nactus in Stemmate, gloriosiùs præ illo Phalaridis, tormentum erat hostium: invectusq; in aciem adversam exarabat vulnera; fortitudinis Generalis semina, cædes, mortesq; spargebat latê, metebat laureas, laboris Heroici adoream. Indê est, quòd Virtutem Herculeam oculô permensus, animôq; REX Serenissimus, dignam censuit, penes quam Castrorum Lechiæ Summa esset; dignam, quæ omnia Ducalis Clavæ haberet, ante ipsam. Quis singula in Terrestri Pantheo recenseat Numina? Cælum, Aquilarum ritu, irretortâ, quantumvis modestâ pupillâ contemplor, unde Tu Princeps Palatine Celsissime, SIENIAVIAM Stellam & Lunam, Sociam vitæ, toriq; traxisti, ne quid non cœleste progigneres. Quanta hæc sidera! quæ nominis claritudo! Citra Platonis commentum, Urbes, Regna, Heroumq; Ideas, hac in Luna intueri videor. Septingentîs & ampliùs Annîs, quotquot SIENIAWIOS spectavit Lechia, aut Joves erant, aut Mercurii, aut Martis Numen, cæteriq;

plusquam hominum Tituli. Jam Capitanei, fasces; jam Referendarii paginas; jam Notarii Calamos; jam Excubitores Regni Limites; jam Signiferi manipulos & Aquilas; jam Cancellarii, Annulos; jam Mareschalci, Scipiones; jam Patres Patriæ, Curules occupârunt; & adhuc coronanda restant merita. Rotârunt clavas, Belli Ductores, acsi Hercules; ut Patriam strenuè defenderent: longa seculorum serie, attriverunt Purpuras, acsi Catones, ut splendidiùs niterent. Si bella, quæ gesserunt feliciter; si Trophæa, quæ erexerunt fortiter; si Laureas & Coronas, quas gloriosè meruerunt, ad calculum redigamus: tot Civicas numeramus, quot Cives Patriæ servârunt; servârunt autem infinitos. tot Castrenses legimus, quot Castra hostium expugnârunt; expugnârunt autem innumera. tot Murales spectamus, quot perduellium mænia diruerunt; diruerunt autem sexcenta. tot Triumphales reponimus, quot Gentes, ingeniô feras, moribùs barbaras, Religione perversas domuerunt: domuerunt autem Svecorum ferociam, Moschorum perfidiam, Cozacorum insolentiam, Scytharum sævitiem, Othomanorum superbiam, ac Tyrannidem. Porro hæc omnia decora, velut Solis radii ad punctum in Horologio, lineæ ad centrum, flumina ad Oceanum, ad Te concentrantur,

& in-

& influunt Princeps Celſiſſime; ubi ultimum SIENIAVIANÆ Stirpis palmitem, eumq; aureum; perennaturæ Domus apicem, immortalis Gloriæ Coronidem & Coronam, Celſiſſimam SOPHIAM de LUBOMIRSCIIS SIENIAWSKA Hymenæô vinculô devinxiſti. Quam, quantamq; Maritam Principem! Elegantia illi pro vultu; pro indole dotes eximiæ. Hinc eam alii, ſpecioſum Sidus, Phæben, Dianamq;; alii Prudentiæ Numen, Minervam; magnificam alii Deam, Junonem; alii tandem, Domum antiquiſſimam claudentis naturæ decus ſupremum appellare. Omnem SIENIAWSCIÆ Lunæ orbem in ſe collegit, hoc totum una, quod omnes fuerunt. Progenitorem illa ſuum, primum Patriæ Patrem, Celſiſſimum ADAMUM in GRANOW & SIENIAWA SIENIAWSKI Caſtellanum Cracovienſem, & Supremum Exercituum Ducem compellat: quo ſpirante, Vires & Animum Patria ſumebat: conſulente, ſecura ſtabat: bellante, triumphabat; cadente, trepidabat, ne vel ipſa caderet ſublatô Fulcrô. Digna profectô tanto Patre, tanta Filia! Bellona videlicet Marte Lechico; Pallas Jove; lux Sole; primo Poloniæ Senatore, Princeps Purpura. Utinam! (vota hæc omnium! exoptantis populi voces!] Te Principe Marito, reddat in CZAR-

TORYSCIIS SIENIAVIOS, ferrô & aurô graves, Sago & Togâ armatos, RAPHAELES, NICOLAOS, PROCOPIOS, ADAMOS, HIERONYMOS, ALEXANDROS, omnes utiq; Ecclesiæ Tutores, Patriæ Defensores, legum & libertatis Vindices, Religionis propugnatores, literarum Mecænates, Societatis Minimæ Patronos, ac Leopoliensis Collegii Fundatores Amplissimos. Horum memoriam, quoties retexímus, lugemus fata: nec siccatos Vultus tenere possumus, nisi in Te spectemus redivivos. Ita equidem SIENIAVIANÆ Cynthiæ, post Annorum Myriades, ex quo illuxerunt Poloniæ, occidêre, ut Auroram post se relinquerent, quæ Soles rursus de Te conciperet, pareretq;. Vide Princeps AUGUSTE, Palatine Celsissime, quæ Te Avita lumina circumfulgent? Primæ Magnitudinis Sidera sunt; Tu Grande Astrum. Gemmæ sunt Honoris; Tu Corona: Uniones sunt; Tu Pactolus. Quòdsi ulteriùs adhuc oculum ire permiseris: cernes Familiæ tuæ Lineam tam longè protensam, latèq;, quàm procul excurrit mundus. Nimirum ut pulchriùs ruberent Regum Purpuræ exterorum, Ducumq;; Vestrum sanguinem hauserunt; ut sublimiùs eminerent terrarum Domini; vestram Celsitudinem suis Titulis addiderunt, Stirpiq;. GEORGIOS,

GIOS BAVAROS, HEDVIGIS; FRIDERICOS LEGNICENSES ELISABETHA; GEORGIOS SAXONES BARBARA; BOGUSLAOS Pomeraniæ Duces ANNA CASIMIRI Filia; FRIDERICOS MARCHIONES BRANDEBURGICOS SOPHIA; ALBERTOS Magiſtros Pruſſiæ; JOANNEM, CHRISTOPHORUM, FRIDERICUM, Duces Saxoniæ; GEORGIUM, CASIMIRUM, BERNAM, Principes Pomeraniæ, Nuptæ Veſtræ, CZARTORYSCIIS fecerunt Affines. FRIDERICUS inſuper ex CASIMIRO; ALBERTUS & CAROLUS ex SIGISMUNDO, Cardinales, Eminentiam Veſtræ Celſitudini, Galeros Mitræ, propinquitate junctiſſimos habuiſſe intrà Gloriam poſuerunt. Nondum ſumma, utcunq; maxima. Eques Veſter non terrîs duntaxat decus diſtulit Gentile, at cœlis etiam invexit. CZARTORYSCIANÆ ſcilicet venæ ſanguis eſt, qui Sanctorum numero influxit, CASIMIRUS, Poloniarum & Litvaniæ Princeps: Vos idcirco Cervix Divis proxima, & pluſquam mortale Genus: id quod vobis & illuſtrius eſt, & ſanctius, quàm ſi ad Jovem, cæteraq; Deorum vana nomina Stirpem referretis.

Et jamne ad trabeatam gloriam, Nominiſq; Tui Magnitudinem ſatìs eſt, Tantum

Te in Majoribus Tuis, ante Te præcessisse? minimè. Quantus Antecessoribus Tuis successurus eras, talibûs Prodromîs augurari duntaxat retroacta sæcula potuerant, non metiri. Ipse Tuî, meritorumq; Tuorum mensura es, Princeps; alio,! quàm Te ipso, commensurari Tibi Ipsi, non potes. Ultra suum Phosphorum Sol est; ultra sua, quæ repingit, parelia, Phæbus est. Ea Tibi, quæ Oceano natura, in quo sexcenta illa trabeata flumina, purpureasq;, quibùs profluxisti, absorbes venas, acsi suum, in Te uno, omnes fecerint naufragium. Tu Celsissimorum Nominum apex; trabearum murex, dignitatum honos, laurearum succus, Gradivi spiritus, Vastæ Majorum Tuorum Iliadis nucleus, compendium, & summa Universorum. Illustrissima ISABELLA de MORSZTYNIIS Thesaurarii Regni Filia, pretiosi sanè in Te pignoris Parens, ceu feracem auri, universam Arabiam suis visceribus reconderet, ita in Te uno omnes naturæ dotes, & pretia compegerat, inq; lucem effuderat; novi non immerito facta Mater Aurelii, cùm Te aureum Principem, veriùs ductile in usus, & commoda Patriæ aurum progenuerat. Statim ùt sacris pusio intinctus es lymphis, AUGUSTUS & ALEXANDER emersisti, omenq; universis de Te ipso ingesseras, angu-

stum

ſtum incrementis Tuis Polonum fore Orbem. Et ſanè conſonum ALEXANDRO vaticinium, niſi Macedone dignus coronavit eventus; cujus æmula virtute, procedentibùs annîs, ne peregrinus in ſcientiis viderêre, intrà Regni limites, politioris literaturæ univerſas peragraſti, Tecumq; extra Poloniam extuliſti Athenas; ut præſtò haberent, quod ex Te etiam condiſcerent orbes exteri. Vidit, & invidit Lechiæ Germania, ſuô dignum Imperiô AUGUSTUM, quem germanus auguſtis virtutibus candor, parem ejus ſolio fecerat candidatum. Florem Principum viderunt florum lilia Reges in Gallia, ſimulq; ad purpuram Principis, roſarum æmulam, palluerunt; cujus nitorem nec decoloraverunt ſoles exteri, nec Lutetiæ ipſæ ullam ei maculam adſperſerunt. Sola duntaxat fragilitate dempta, morum integritate Tuorum, ſpeculum factus es Exteris, cujus in obtutu & contemplatione defixi totos ſeſe ad Tui normam comerent, & emendarent; ut meritò conſtare videatur, nullos extra Patriam Te vidiſſe populos, niſi quos Virtutum tuarum imitatione, Sequanos effeceras. Decreſcerent, ſuos ſi Tecum conferret Grandes Hiſpania; cui, tot inter Pares, parem tamen Francia non repererat, quia omnium apex extitiſti eminentiâ Indolis, Vir-

 tutumq;

tutumq; Tuarum ampla celſitudine; qua vel una, Teq; ipſo, Regnorum Parlamenta, Senatumq;, non impleres modò, verùm arctares etiam. Factum proinde, ut nonniſi magnæ expectationis fieret Tuus in Poloniam reditus, qui jam univerſum pene orbem ingenti Nominis Tui famâ implevisti. Quæ vota Celſiſſimorum Progenitorum, Patriæq; Univerſæ; ne eorum videndi Tui deſideria remorareris diutiùs! Quæ, menſes diesq; inter, de Te contentio, & lucta, qui tantum ſolatium utriſq; redderet? Æmulatione quadam menſis menſem, dieſq; protrudebat diem, ut alter alteri eriperet, ac deſideratum Poloniæ munus referret. Bellorum futurum arietem, Te ſibi ante alios vendicabat, qui & ipſe Ariete inſignis eſt menſis. Secururæ ætatis Principem, niſi menſium Princeps, Martio qui igne calet, flammam illam in Te referre contendebat, quæ victricibûs nonniſi palmîs enutrita, hoſtium Patriæ, futura olim eſſet incendium. Verùm ad flammam hanc excanduit, immugiitq;, acſi Phalaridis eſſet, Aprilîs taurus; quàmq; arderet ferventer hoc igne potiri, clarùm fecerat. Alexander [inquiebat) CZARTORYSCIUS eſt, vel ipſo nomine Magnus, meritîs gravis; Europam in ſe refert; me proinde nonniſi tauro in Poloniam

reve-

revehi debet. illi pro vomere ensis erit, quo ad laurearum manipulos, segetemq; clypeatam virorum, campos sulcabit Patrios; quis mea, ante Principem, juga feret? Nisi fortè hoc, in gemino cornu meo, dilemma, quis fregerit; CZARTORYSCIO non potietur. Integra, quæ Majus toties explicuit, folia, haud tamen orationem caperent, quam pro suo in Te munere exorsus est. Floridissimè eum perorâsse quis ambigat? quis præter rosas, Hymettum, Pæstumq; ipsum, aliter loqui non didicit; Florosq; ipsos, Rosinos, & Hortensios eloquentiâ superavit. Flos Principum (inquiebat) CZARTORYSCIUS est; talia, nisi Majum poscunt munera prodromum. Novo ver meum cumulabo vere; geminaq; Votorum suorum æstate reflorescet Lechia, ubi meis illam tantus flos adibit cum Geminis. Parum tamen abfuerat, ut Te aliis præriperet, qui Junoni sacer mensis fuerat; eò, quòd Polonum in Te Jovem, suæ cognatum Deæ suspiceret: optato tandem maritalis tori fædere Polonæ de Sieniaviis Junoni sociandum. Nisi deses nimiùm, retrogradusq; passus ejus videretur, qui aliter, quàm cancrô provehi, non didicit; metusq; subesset, ne retro iterum per Regna, Provinciasq; abriperet, quod Domi impatientibùs desideriîs expectabatur de

Te ſolatium. Ergo Julios tandem inter, & Auguſtos Regale ſanè de Te Princeps exoritur certamen; in quo tot coronatos ſoles ordinari videres, quot dies ab utrinq; ſereniſſimos. Univerſis lorica, niſi Phæbus; haſtilia, enſes, ſariſſæ, objectaq; pila minantia pilis, niſi illuſtre armorum genus, radii; certaminis arena, Olympus; ut meritò tanto ab utrinq; Hercule, nova de Te inſtitui, Tibi ſacrari Olympia crederes Polone Jupiter, ipſe præmium, omniq; olea præſtantior, victorum alterutri corona exſtiturus. Itaq; qui primus eorum in ordine, primus quoq; videri voluit in certamine, cui magnô demiſſum nomen Julò. Mactè animo (inquiebat ille] ſi quando, hac profecto arena, dignum te Cæſaris irâ, ereptus ille honor faciet, ſi ALEXANDRUM Principem, ipſi duntaxat per omnia Julio ſupparem, Victoriæ coronam Auguſto conceſſeris. Monſtrorum, ſuumq; domitorem futurum, noſter maturè agnoſcat Leo Herculem; redeunti ab exteris præbeat comitatum, CZARTORYSCIO; olim in Palatinalium Ruſſiæ faſcium inſigne abiturus. Tempeſtivè norint, ut cui poſthac militent, nunc etiam ſerviant leones. Quid ad hæc menſium Cæſar Auguſtus? Uno ſe, adverſam aciem conſtrinxit: dum in arenam procurrit; æmulas phalanges,

ita

ita in anguſtias redegit, ut arctiſſima quadam obſidione cingi viderentur; illiq; victori ad deditionem compelli, qui vel ipſa Nominis ſui majeſtate, ingens quodvis theatrum implet, ſeq; ipſo caſtra facit ingentia. Unum movit imperium, & vicit. Deſine [inquit) deſine tuum jactare leonem ſæve ſine viribus Juli. Catuli hujus, non ad gloriam reducis in Patriam Principis, comitatus; cui verior hic Polonus Hercules, vel cutem ipſam iterum detraheret. Enervatus jam eſt, & caſſa in ſuis exuviis vagina: umbra quidem, ſed non Solis tanti pediſſequa. Omni jam conſumptus medulla, ſolo cortice illudere in via ALEXANDRO Principi, crimen eſto. Nobis duntaxat affine nomen Auguſti: noſtro ab obſequio Princeps etiam ipſe haud erit alienus. Vel ipſa cognatorum nominum linea, recta futura via eſt, eaq; regia, ipſam ad uſq; Sereniſſimi Poloniarum Regis AUGUSTI Regiam. Factum itaq;, ut poſt amabiles de Te rixas, uni duntaxat ceſſeris in præmium, & coronam victoriæ, ab omnibus aliàs magna contentione prætenſe Princeps; eo ſcilicet, quantum in Te fuerat, animo, ut niſi a Tuo Auguſtum nomine efficeres, quiſquis tandem menſium, ſuæ Te, votum ingens, reſtitueret Patriæ. Quanta tunc in animis exſpectantium Te, ſolatio-

latiorum pullulaverat ſeges, cùm jam Regni finibus accederes? Sanè fertilius nunquam exundatione ſua Ægiptios Nilus conſeverat agros, quàm cùm Tu Principum Celſiſſime, campis Te Lechicis infunderes. Non fluctuantium jam in gloria ariſtarum, verùm palmarum coacervatione quadam victricium, conſtans Regni factus es acervus ille, quem nullæ unquam hoſtium manus excutient; Tua ſemper ex adverſo heroa manu, ferroq; victrici triturandæ. Quantus undiq; Procerum confluxus, ut reducem ab exteris Principem magna ſui voluptate animi contemplarentur, ſuamq; de Te ipſo normam ſumerent. Alii flòrem vultûs intueri, quô ipſa etiam lilia vincebas. Alii reſpectare mite equidem, ſed inſimul timendum jam hoſtibus pâtriis, oculorum fulgur. Alii ſvave oris Tui prælibare eloquium; dulce exprimere ſvadæ tuæ nectar; quam Tu, acſi labris Attica, nec ſinè acumine apis inſediſſet; quaſi mella univerſa Platonis exſuxiſſes, omni eloquentiæ favô condiveras. Hinc jam percrebuerat fama, totumq; vulgabatur per orbem, CZARTORYSCIUM Principem, ab exteris terris reducem, Celſiſſimarum Virtutûm ſummâ, dotumq; animi præcelſarum compendiô, illicium omnium exſtitiſſe; talemq; Te uſq; in Sereniſſimi Regiam Auguſti

pene-

penetrâsse. Itaq; ut in conspectum Majestatis perveneras; simul oculos in Te, simul animum Regalem rapuisti, dotes eximias æstimatione complexum, amoreque. Neq; autem sterile PRINCIPIS Regnatoris pretium meruisti: verùm ubi illum in Te suspexerat, cui similem vix protulit ætas consiliô & Marte virum, inclusosq; centum heroas in Uno; Gradivi primum Sarmatici titulis Te admovit, ut suis sub signis exemplum haberet magnanimæ militiæ. Generalis Majoris præfecturam nactus ita integrum Castrorum corpus informâsti, ut quædam illius anima videâre; præbeasq; Peripatheticis documentum, in Te ipso, nunc primùm Archeum, id est bellatoris mundi spiritum universalem deprehensum. Quèm enim non animaret illa in Te vivida bellorum Virtus, & Mars in facie manifestus? Pectore tuo, exemplôq; timorem ipsum faceres in pericula audacem; pronum in vulnera, & sanguinem. Nimis quantum est incitamenti ad ausa ingentia, vidisse, ùt Tibi discrimina animos non adimunt; addunt: fata non dejiciunt; erigunt: difficultates non arcent; impellunt: ùt fortiùs Tu per armatos hostes, tela, ignes bellicos, quàm per pulvillos ignavi, per rosas Heliogabali, raperis, & omni in pulvere plus Herois exprimis, quàm hominis. Quis

ille verò consanguinitate ligavit, virtutem, invidiamq; Deus? Castrensem ex Te gloriam, pulchro livore invidit Marti Honor Patritius, eôq; vertit cogitationem, ut vel illius esses, vel amborum. Tu quidem in armorum munus, nomenq; absorptus, ne ALEXANDRUM Te memineras, cujus manus Orientem Purpureum tenere pridem debuerat. Meritum in sinu erat; solus Tibi longissimè fuit animus, qui dextram porrigeret ad illustria; nec exspectaret titulos, sed attraheret. Credebas, egestatis esse argumentum, appetere; avaræ mentis indicium, inhiare: itaq; Tantalo dissimilis, ne quidem os aperueras, ut pomum caperes purpureum, Sed Dignitas ipsa Trabeata votum suum apud SERENISSIMUM peroravit, transegitque, ut ab Equo Martio ad Curulem Senatoriam provectus, inter Proceres sederes ingens Russiæ Palatinus. Ut sibi Titulô tuô placet Purpura! ùt tuîs humerîs erigitur! Verùm Tu ex magnitudine subsellii non tollis animos; quin potiùs duo illa sibi adversa, Honorem & modestiam, ita conciliâsti, ut in exemplum abieris Dignitatis submissæ. Nec tibi supercilium fastus asperat; nec oculos avertit despicientia cæterorum; non alloquium submovet suî parca auctoritas. CELSISSIMUS es citra elationem; Purpuratus Pater citra

tra erubeſcentiam projectæ ſortis. Denſantur atria ſupplicantium gregibus ſubditorum? non Tecum, ceu cum Delphico Apolline, loquuntur, velô interpoſitô, conſpectumq; prohibente. Prodis, quod vidimus, de conclavi; de majeſtate remittis, deſcendiſq;; aurem adfers poſtulatis; manu excipis rogantes paginas; idemq; eſt, in animum tuum querulos luctus, quod lacrymam Auroræ in conchylium incidere: utrobiq; gemmeſcunt fletus, fiuntq; ſortis candidæ ſimulacrum. Delent ſubitò clementes Gratiæ, quod ſcripſit ſupplex dolor: removentur onera, quæ lacrymas exprimebant; & flentes modò injuriæ, referunt domum ſolatia. An Tu fortunæ incrementa damnîs ſubditîs quæras, qui tui opes innoxias ærarii ſpargis largiùs in alios, quàm Sol radiorum aurum? Neq; tamen ſeris munera, ut gloriam metas, fructum beneficii unum ad te pertinere ratus, dediſſe. Non emis aurô, famæ ſonitum argenteum, tubamq;; nec Phoſphori inſtar, clangîs lituô, dum exoreris Sidus beneficum. Irem ulteriùs per Virtutum Tuarum curſũ; niſi ſubſiſtere juberet imperioſa modeſtia, vetaretq;, Frontem tuam, Solium verecundiæ, violare. Obſequimur, PRINCEPS CELSISSIME: dumq; Tu in Honoris Palatini culmen Trabeata infers Veſtigia; nòs inſtare elogiô

O cessa-

ceſſamus. I felix, & Optimatum Optimus! certus tamen, Dignitatis Roxolanæ apicem, punctum nonniſi initiale eſſe Honoris Tui: Purpuræ hujus illuſtre jubar, lucem eſſe tibi Primigeniam, nondum diem, nondum Solem. Reptâſti per ſcuta Puer; perges Vir per Curules. Leoburgici Montes terni, aliud ex alio, ſummum ex ſublimi, faſtigium pollicentur; Tu mereris, vovet Societas.

